



1. Fabri annivef. Difputat. ad 11 Libros Inftitutionum Imperial.
2. Menckenii regia ad virtutem & Jurisprudenc. excolendam Via.
3. Ejurd. Juftiffimum amoris Monumentum.
4. de Ludewig & Grafii Differentia Juris Romani & Germanici  
in Hagenftolziatu, exule in Germania.
5. Theodorici de Nuptiis.
6. Hoffmanni Tract. Jurid. de Matrimonio Sexagenarii cum quin-  
quagenaria de vom Zyrtzhan alter Zyrtzhan, it. non Lan-  
Zuiden des Warlobingau.
7. Müllerii Prof. de Focalibus, non Martio = Defunct.
8. Simon de Patriniis, non G. Hattam.



JUSTISSIMUM.  
AMORIS. MONUMENTUM.  
QVOD.  
COMMENDANDO.  
EXCOLENDÆ. RATIONIS.  
C U R A M.  
PRÆCIPUE. IN. JURISPRUDENTIA.  
ET.  
RENOVANDO.  
JCTORUM. LIPSIENSIVM.  
M E M O R I A M.  
OCCASIONE. JUBILÆI. III.  
IN. ACADEMIA. PHILYREA.  
D U P L I C I.  
P R O G R A M M A T E.  
ET.  
O R A T I O N E.  
CONSTITUERE. VOLUIT. DEBUIŦQVE.  
LÜDERUS. MENCKE. JCTUS.  
CONSILIAR. REG. ET. ELECTOR. DECRETAL.  
PROF. PUBL. ET. FACULTAT. JURID. LIPS.  
ORDINARIUS.

---

L I P S I Æ.  
APUD. PHIL. WILHELM. STOCK.



12

LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
CAMBRIDGE  
PRINTED IN GREAT BRITAIN  
BY THE UNIVERSITY PRESS, CAMBRIDGE





I.  
PROGRAMMA LICENTIATURÆ ACTUI PRÆMISSUM.  
PROCANCELLARIUS.  
**LÜDERUS. MENCKE. JC.**  
FACULTATIS JURIDICÆ LIPS. ORDINARIUS &c.  
LECTORI BENEVOLO. SALUTEM. PLURIMAM. DICIT.  
EUNDEMQVE  
AD.  
ACTUM PRÆSENTATIONIS.  
ET.  
SOLENNITATEM.  
QVA.  
**L I C E N T I A M.**  
SUMMOS. IN. UTROQVE. JURE. HONORES.  
ADIPISCENDI.  
CONFERET.  
DIE XXIX. NOVEMBRIS.  
IN.  
COLLEGIO. ICTORUM.  
CELEBRANDAM.  
OFFICIOSE. INVITAT.

B. C. D.



Quando Lumen illud Eloquentiæ ac  
Sapientiæ Romanæ Cicero in Orat.  
pro A. Cæcina C. Aquilii Prudentiam  
commendat, qui Juris Civilis ratio-  
nem nunquam ab æquitate sejunxe-  
rit, tot annos ingenium, laborem,  
fidem suam Populo Romano prom-  
tam expositamque præbuerit: ita  
justus & bonus vir fuerit, ut natura, non disciplina, consul-  
tus esse videretur: ita peritus ac prudens, ut ex Jure Civili  
non scientia solum quædam, verum etiam bonitas nata cen-  
feretur: cujus tantum esset ingenium, ita prompta fides, ut,  
quicquid inde haurias, parum liquidumque te haurire sèn-  
tias;

C. Aquilii  
Exemplum.



JCti Excellen-  
tis,

*In Confociati-  
one rationis  
naturalis &  
civilis.*

*in Cura Reip.*

*in Peritia cum  
bonitate con-  
juncta.*

Rationi relin-  
quendum est  
imperium.

eaque etiam in  
studio Juris

tias; Ipse tam speciose ornateque imaginem exacti JCti expressit, ut isti parum addi queat. Et quid, individuo rationis civilis & naturalis nexu, fide in Remp. illustri, JCto natura & disciplina imbuto, atque Peritia cum bonitate conjuncta dici poterat præclarius? Quisquis ad illius exemplum animi dotes componere cupit, mero æquitatis prætextu delinquit à Juris constituti norma non deflectit, sed, cum illius rigorem emendandum esse ducit, Legislatoris arbitrio summum jus temperari curat; vicissim, ubi deficit juris dispositio ac ratio, naturalem judicandi vim exercet, nec æquo fert animo eos, qui per commenta subtilitatum inanium judicandi libertatem irretire fatagunt, civili sanctione ultra scientis intentionem productâ. Et quoniam cordati Civis est molestiis pro salute multorum exhauriendis haud temere humeros subducere, non semper expedit Antistii Labeonis insistere vestigiis, *l. 2. §. 47. ff. d. O. J.* qui oblatum ab Augusto Consulatum detrectavit, & plurimum studiis operam dedit; verum vigiliæ, quæ doctis impenduntur chartis, cum diurna variorum desideria adjuvandi cura sunt cumulandæ, ne quid communibus decedat utilitatibus. Præterea mentis integritas, quoties cum natura & institutione in amicam societatem conspirat, nihil non singulis universisque proficuum pollicetur; proinde fideliter tuenda est ista omnibus profutura communitio, ut lucrum, ex conjuncta speratum opera, non minus publica, quàm privata, augeat commoda. Quoniam verò Cicero monet *l. 1. de Offic.* duplicem esse vim animorum, atque naturæ: unam partem in appetitu positam, quæ hominem huc & illuc rapit, alteram in ratione; quæ docet & explanat, quid faciendum fugiendumque sit; ratio autem præesse, appetitus obtemperare debet, ne, ratione & oratione à brutis diversus, nomen hominis potius quàm rem tueatur, de Ratione in omni vita, & imprimis studio Juris, excolenda egisse erit laboris, ut existimo, non omnino perituri; maxime cum



cum ab Imperio Rationis rectè usurpato totius Orbis felicitas proficiscatur. Ante omnia vero cum iudicio, excussis animi corporisque viribus, eligi certum, cui quis totum se consecret, & quod affectu non coacto persequatur, studium ex usu est, atque in eo rationis vim constanter exerceri. Et quia principatum quasi occupavit nostro Seculo *das raisonnement* / sive studium reddendi rationem sententiæ probabilem certamve, nemo facilè inficiabitur, institutum hoc omninò commendationem mereri, cum optimam hominis partem exornet, dummodo sedula cum circumspèctione istud negotium, cæteris præeuntes & vestigia aliorum prementes, prosequantur: siquidem dici non potest quàm insignia Resp. sibi ex illo rationis cultu promittere possit ornamenta, singulis in haud vulgare decus emergentibus, iudicioque moderato publicas utilitates, vel felicius expectatione, adjuvantibus. Proinde non inutilis videtur opera, quæ fines proposito salutari figendo, ne quid nimis aut minus, quàm prodest, fiat, bona & à partium studio remota intentione, cavet. Qua in re si fidei amorique, primas nunc lineas ducturi, responderit virtutis & rationis rectè, in primis in Jure excolendo, usurpandæ studiofa Juventus, nec me, nec illam, ut spero, moniti pœnitebit. Quod si Jus Naturale & Gentium respiciam, sunt qui illud, tanquam exiguo futurum usui, avertentur, in primis si circumstantiæ necessitatibus vitæ succurrì postulent, aut moræ tædia haud ferant; vicissim extollunt illius virtutem alii, terminosque suo affectui haud patiuntur præscribi, ob illius jucunditatem libertatemque non tantum inventis addendi, sed etiam probabiliter in utramque partem disputandi, quæ adeò elevant istius studii vim, ut felicius ex illo, quàm ex toto Juris Civilis Corpore, Controversias decidi putent & credulis persuadere cupiant. Atque in illius sententiæ suffragium tanto alacrius itur, quod omnes in Justiniano Jure, satis amplo, superandæ molestiæ uno quasi ictu, instar Hydræ Lernææ,

prudenter corroboranda.

Cura excolendi iudicium per ratiocinationem laudabilis est.

sed rectè temperanda.

in Jure Naturali & Gentium.

quod temere haud negligendum.

nec ita elebandum, quasi, hoc usurpato, Civili Jure carere liceat.



næ, Herculis hoc ferro ac ista face, vincuntur abolerenturque. Verum penitus principia Juris Naturalis & Gentium negligentes in Progressu studiorum non una difficultate premuntur; siquidem in moralitate actionum æstimanda plerumque cœcutiunt &, quando in materia interpretationum, pactorum, juramentorum, fœderumve versantur, aut deficiens in Civilibus determinatio ad naturalem æquitatis rationem transiri jubet, sibi diffidunt, aliis que consulere nequeunt; quibus, supervacuis ambagibus eliminatis, paucis solidisque fundamentis prospici, atque sic temporis arisque jacturæ medellam afferri, satius est. Sed quia, Orbem per mere naturales rationes gubernaturi, haud leve adsciverunt præjudicium, ne Herculi clavam extorquere velle videar, quam singulorum manibus excidere malo, eam mihi exoro patientiam, quæ vires suas à Jcto, in dirimendis Controversiis, tam Theoreticis quàm Practicis, exercitato, sincero cum proposito emendandi sententiam, si eam deprehenderint vanam, tentari expectant, ut, per ipsam experientiam, videant intelligantque, quàm pauca in nostris Rebus-Publicis per solum Jus Naturale decidi queant. Quanto rectius est illud vires suas indagandi remedium haud sperni, quam, ceu multis contigisse recordor, serò, insignique cum indignatione, explodi hoc principium, aut omnium in foro certantium funesta in se converti arma & argumenta: nimis enim duræ diræque sunt Patronorum ac Propinquorum querelæ, qui suos, irrita profectuum opinione valentes, invalidos autem in Jure Civili, ab Academicis reversos esse dolent, & circa primarium finem studiorum infeliciter versatos esse, tantum non lacrymantur. Potius, declinaturi hanc calamitatem Docentes, liberalem præbeant in naturalem civilemque rationem inquirendi ansam, dum Collegia non nisi à rite præparatis frequentari volunt, atque tum, perpetuo exemplorum tentamine, industriam audientium excitant, efficiuntque ut singuli Auditores, ad quaestionum

Consilium  
præjudicio de-  
clinando servien-  
s.

Excolende  
tam naturalis  
quam civilis  
Rationis uti-  
litas.  
Et modus.



tionum omnium resolutionem se componentes; fructum  
 methodi eum nanciscantur, quem sperare queunt, soli, per  
 universam horam, fide curaque Docentis tentati. Quod  
 quam salutare ad arduos Collegiorum Juridicorum, Judi-  
 cam, Advocatorum, sudores contineat præparationem, ipso  
 didici, eo Examine per lustra non pauca in docendo usus, ex-  
 perimento. Ad Jus Publicum conversi discentes docentes-  
 que cogitent, concordia res parvas crescere, discordia magnas  
 dilabi, vinculumque nullum, mutuo imperantium & paren-  
 tium, nec non coimperantium, amore esse efficacius, id quod  
 victricibus, quæ nunc, divino auspicio, circumferuntur, armis  
 corroboratur. Nunquam igitur Leges nostri Imperii fun-  
 damentales animis oculisque excutiant, inventuri in iis,  
 quam provida ratione excolant, materiam. Nunquam pro  
 Statuum Juribus, quæ amplissima sunt, cum injuria Impera-  
 toris pugnent, nec novis confidant inventis, quoties ea spar-  
 gere queunt diffidentia semina, infelix lolium zizaniumque  
 paritura, quod radices viresque frugum, aliàs ex voto succre-  
 scientium, depascit. Quorquot consulendo, respondendo,  
 judicando pro Justitia adversus Injustitiam militant, corda-  
 ros se præstent milites DEO, qui cordis meditata penetrat,  
 reddituri sollicitudinis ac fortitudinis declaratæ rationes.  
 Itaque in Statu Controversiæ constituendo, tanquam funda-  
 mento totius laboris, haud perfunctoriam adhibeant curam;  
 deinde, circa decidendi principia prudenter applicanda occu-  
 pati, peritiæ universi Juris documentum præbeant judicii que  
 virtutem commendent, ratione evidenti, concludente &  
 congrua sententiæ suæ quæsitæ defensione, ita ut nihilominus  
 audiatur dissentiens, illiusque rationes, cum propriis compa-  
 ratæ, tamdiu ad Lydium Lapidem Legum exigantur, donec  
 id, quod probabilius & verius est, patefiat. Dignissimum  
 igitur Juris Prudentibus est institutum, quoties Publico in-  
 serviendi occasionem aucupantur, & rationem, ipso usu, va-  
 riis

*Quomodo in  
 Jure Publico  
 circumscriben-  
 da sit judican-  
 di libertas.*

*nec non in  
 consulendo,  
 respondendo  
 ac judicando.*

*Occasioni simi-  
 rationis expe-  
 riendi insigi-  
 landum.*



riis modis acuere, confirmare, iudiciumque in multorum utilitatem politum excultumque præstare, allaborant. Ista vero plenius excutere jam superfedeo, proximis diebus argumentum hoc specialius, cum D E O, per omnes Juris Partes declaraturus. Cum enim instantis Jubilæi festivitatem Ordo noster Juridicus solenni Promotione augendam esse duxerit, studiisque benè merentium suis debeatur honos, & *Sacra Majestas Regia, Administratorio nomine Episcopatus Martisburgensis, pro Reverendissimo Serenissimoque Principe ac Domino, Domino Mauritio Guiljelmo, Duce Saxonie, Julia, Clivia, ac Montium, ut & Angria & Westphalia, modo dicti Episcopatus Martisburgensis Postulato, Landgravio Thuringia, Margravio Misnie, nec non Superioris & Inferioris Lusatia, Comite Principali Dignitate Hennebergico, Comite Marca & Ravensberga, Domino in Ravensstein, &c. Domino meo Clementissimo, Procancellarii munus hac vice mihi benignissimè demandaverit, non tantum Actui Presentationis, in quo natales, vita, mores, & eruditio Candidatorum, quasi per scrutinium aliquod, commendabuntur, sed etiam Licentia Summos in Utroque Jure Honores adipiscendi, quam simul conferre decrevi Ornatissimis ab Utriusque Juris Scientia Viris,*

JOHANNI ABRAHAMO RHOTIO,  
 ET  
 M. CAROLO GOTHOFREDO  
 ITTIGIO,  
 LIPSIENSIBUS,

proximum diem Veneris, qui est 29. Novembr. horâ secundâ destinavi. Hos igitur Actus ut presentia sua condecorare velint *Rektor Academia Magnificus, Comites Illustrissimi, Utriusque Reip. Proceres, nec non Generosissimi ac Nobilissimi Studiosi* exorantur. P.P. VIII. Kalend. Dec.

A. MDCCIX.



## II.

B. C. D.

Oratio de Ratione, præcipuè in Juris Prudentia,  
per omnem vitam excolenda.

**R E C T O R**  
ACADEMIÆ MAGNIFICÆ,

*Proceres Utriusque Rei P. gravissimi, Viri sum-  
mè Reverendi, Consultissimi, Experientissimi,  
Amplissimi, Excellentissimique, Patroni, Collegæ,  
Fautoresque omni obsequio colendi, nec non Tu  
circumsusa Studiosæ Juventutis Concio,  
præsens & futuri Orbis Spes  
Solatiumque.*

**H**Aud exigui ponderis esse materiam, quæ homines,  
per ipsum rationis *καταήλιος* eVectos, ab infelicitate  
vindicat, nemo facillè inficiabitur. Atque de ea *Materia de  
excolenda ra-  
tione.  
ardua est.*  
tanto majore cum fiducia loquor, quod intelligo,  
non fore ullos, qui non, in primis mediis extremisve annis,  
rationis rectè usurpatæ commoda, perperam applicatæ in-  
commoda, senserint viderintque, &, quicquid medelæ hac in  
parte præstari potest, à cordatis quibuscunque conferendum  
essè judicent. Præcipuè cum una & communis Vos fatiget *& necessaria.*  
ærumna, quæ, exemplo & doctrina, Orbi Erudito decus con-  
ciliaturi, summam votorum in eo constituitis, ut prodeant  
è Scholis Vestris, tanquam ex Equo Trojano, Heroes Ecclesiæ  
& Rei P. mala, ut illi Trojam, expugnaturi. Interim salutis *præcipuè in  
Academiis.*  
optimæ ætatis amantes mecum haud intermoritura eò alla-  
borabitis cura, ut, vigilias pro utilitate universorum agentes,  
operæ bona mente collocatæ gloriam soli DEO velitis esse  
propriam. Neque enim censorem agere cupio, qui, de

B

cen-



bona cum intentione exponenda.

*Rationis datus in tenera etiam etate estimatur.*

cum annorum incremento in valet.

optimum subsidium docenti discipuloque praestat.

obsecundando aetati & cum prudentia usurpandum.

per varia genera exercitiorum.

monitorum,

cenfura meis actionibus admovenda sollicitus, emendando vitam tranfigo; potius, circa Cupida Legum Juventutis studia occupatus, nonnulla, quae partim profectum incrementa remorari solent, partim a noxiis ausibus avocare queunt, proponam, mihi saltem sinceram voluntatis testimonium, emolumentum sensum fructumque benigno faventium obsequio vindicaturus. Liceat autem hoc loco ad teneram aetatem descendere, & voluptatem, quae capitur ex scintilla rationis in infantia se exferentis, expendere: hinc enim apparet, in quanto pretio sit ista divina portio aerae, cuius vel primi motus in admirationem trahunt. Cum annorum augmento crescit eorum, qui nostram recte cupiunt felicitati, diligentia, in promovendo Rationis Regimine, illiusque virtute exemplo monitoque accendenda. Principium enim a ratione petit omnis bona institutio; unde fit ut a plagoso Orbili genio alieni duces, inhumanitatis macula evitata, per amorem Juventutis conciliatum, feliciter proficiant, & ab auctoritatis imaginariae terriculamento immunes, non tantum cum ratione methodum eligant, sed etiam electam, persuasam necessitate ac utilitate, ad effectum deducant. Itaque nunc ingenia flexibilia, materiarum amoenitate ac vicissitudine, alliciunt ac impellunt, nunc excitando & obtundendo constantiam pariunt & conservant, nunc, per concitata ex profectibus deprehensis oblectamenta, animum currentibus addunt, nunc attentionem, aemulationis adminiculo, figunt, exactis imitationibus, etiam extemporaneis, ac industriae speciminibus, commemorationum, certaminum aliisque, nunc remittentes, diligentiae praemius, ad labores invitant, ignaviamque poenis, grata denegantes ingrata conferentes, coercent. Nec inanis est, in convincendis nocituram quaerentibus remoram, docentium cura, cum per similia aetati obsecundant, & Architectum Eruditionis solidae, nisi opus, quod molitur, tignorum, lapidum, calcis & operariorum ope studioque, sur-

gat,



gat, i.e. vocabulorum, phrasium, regularum subsidio, promptitudine & solitudine verò ætatis primæ, adjuvetur, frustra laborare evincunt; at, affectum reliquisse tam nobile institutum, nec utile, nec decorum, nec jucundum, nec honestum, imò ignominiosissimum esse, indicant. Atque hinc inæstimabilis est defudantium labor, quando ingeniorum, inclinationum, industriaq; vim perpendunt, & morbis, quos irruere sentiunt, circumspectis subveniunt remediis, fortissimum, quod memoriæ judicium præstat, in apprehendendis rebus adjuvmentum aperiunt, ne errata altiores, quàm emendata, agant in animo radices curant, thesauro eruditionis acquirendo, conservando augendoq; serviunt, in scribendo providos in eloquio esse improvidos haud patiuntur, & per necessaria Pietatis fundamenta haurientes, vitæ pravitate, à doctrina secedere vetant, Scripturæ Sacræ verbis memoriæ cordiq; inscriptis. *Qua* in re, non sine mentis commotione & intimo affectus sensu recordor celeberrimi, etiam post fata Viri *M. FridERICI Hildebrandi*, Gymnasii, quod Martisburgi floret, Rectoris quondam fidelissimi, ac Præceptoris mei ad urnam usque colendi, qui Theologicis ira discentes imbuebat principis, ut, cum Theoriæ satisfecisset, ad Praxin Christianorum conversus, commemoratâ cœlestis benignitatis eminentiâ, affectuq; in Numinis venerationem elevato, Suadâ Fideiq; adminiculo, singulorum fere pectoribus suspiria, oculis lacrymas, amoris divini indices, extorqueret. Pulvere Scholastico his, qui in eo defudant, & vel propterea infinitam æstimationem merentur, relicto ad gubernacula rationis in studio Juris & omni vita agnoscenda transeo. De quibus non, ut arduum desiderat institutum, sed temporis penuria fert, dicturus à Vobis, *Rector Acedemiæ Magnifice*, Utriusque Rei P. Proceres Excellentissimi, nec non Generosissimi, Nobilissimi atque Clarissimi Viri Juvenes, patientes aures animosque propensos exoro. *Quoniam* verò à cæco impetu abhorret ratio,

ubi discernendi sunt memoriæ & judicii labores, & reliquæ circumstantiæ veniunt indagandæ.

Theologica Principia ad Praxin transferenda.



*Circumspectio  
salutaris in  
Duce studio-  
rum eligendo.*

*à discipulis  
promittendo  
adhibenda in  
obsequendo.*

*Norma in am-  
plectendis Ju-  
rium Princi-  
piis obseruan-  
da.*

*quæ declara-  
tur Exempla  
petitis ex Jure  
Nat. & Gent.  
veluti in con-  
stituenda pro-  
positione fun-  
damenti Ju-  
ris Naturæ.*

tio, ista in eligendo viâ præmonstratore inprimis consulenda est. Ubi optimi adhibendi sunt Duces, ex Pietate, Eruditione, fide, integritate, humanitate, perspicuitate, meritis, & experientia metiendi: promiscui enim assentatores, & ad lapsus juveniles æquo plus conniventes, voluptatum & vanitatum auctores vel adjuutores, in præsens non futurum consulentes, patrimonio insidias fruantes, ordinis impatientes, industriam turbantes aut non promoventes, à tentaminibus salutaribus abhorrentes, cordatorum nomine Doctorum sunt indigni & cane ac angue pejus vitandi. Vicissim Docentis virtutibus discantis respondeat pius amor, fides integra, industria constans, æquanimitas & patientia. Quos ita conjunxit ratio Docentes Discentesque, ii non nisi DEO gratos, ReiP. salutare, & utrique gloriosos, possunt producere fructus. Præterea amplectenda sunt illa in Jure Principia, quorum docentem discantemque nunquam poenitere queat; sint igitur ista certa, utilia, ReiP. convenientia, eliminanda verò cerebrina, peregrina, discendi ardorem minuentia vel extinguentia. Verùm, ne in meris generalibus hæream, ex singulis Juris nostri Partibus exempla sistam; unde, quomodo remorentur & obsint ad hanc amassim non ex acta principia, & qua cum circumspectione eadem admittenda vel respuenda veniant, intelligatur. Ut à Jure Naturæ & Gentium faciam exordium, quod meas, quamdiu nondum immersus eram gravioribus Collegiorum laboribus, occupavit delicias, quanta cum animi contentione de fundamentali propositione disputatum est, quæ illius præcepta per compendium contineret, atque ex solo rationis lumine innotesceret, cumque de ista inter eminentes Eruditione ac Dignitate Viros, non sine calamorum, animorum & amoris jactura, certatum esset, eò res, inter alienos à præjudicio, rediit, ut parum interesset putarent, utrum fundamentum hoc una propositione, an pluribus æquè evidentibus, comprehenderes, modò fun-



fundamentum huic doctrinae substratum probabile esset, & conclusiones nihil absurdum continentes pareret. Non igitur errabit Auditor qui Docentis opinioni, rationi haud male convenienti, accesserit, & in talibus temporibus perituro pepercerit. Istud quoque expertum est Jus Civile factum, ut, moralem rationem sectati, si quam probabiliorem sibi esse opinionem crederent, Legem Justinianeam Juri Naturae repugnare creparent, illiusque justitiam, sub titulo rigoris iniqui, accusarent; qui temperassent iudicii vim, si perpendissent id, quod alii haud neglexerunt, Legislatorem, excussis aequi bonique principiis, non tantum probabili, sed etiam suae Reip. genio optimè respondentem, sententiam, ea auctoritate, qua polleret, adiecisse calculum, indignissimamque esse Majestatem imperantis notam, quam imprudenter, nihil tale merenti, impegerrunt. Aequa interim cum censura dimitteudos esse putos, qui in dubiis Quaestionibus suae Reip. causam agunt, atque illius utilitates, huic promovendis nati, pro virili adjuvant; quandoquidem controversiarum istarum exitus plurimum ex factis RerumP. trahunt, quod referri Disputationes, de Mari Libero & Clauso, queunt, de quibus rerum Belgicarum compilator, Aitfema, Procerem quendam Belgii ita iudicasse ait, ut decisionem circa Dominium Maris Marti assereret, quia de illo, non tam calamis quam armis, certandum est. (a) Melius utilissimis ex Jure Naturae & Gentium materiis, quam vitiligis consecratur ortum, rectiusque ea, quae de pactis, contractibus, juramentis, delictis, belli causis veris & praetextibus, nec non de justitia armorum, per oblatam satisfactionem, in injustitiam conversa, traduntur, communi bono mitigandisque calamitatibus humanis, cum modestia, expenduntur. Juris Civilis solida positurus fundamenta meminerit non frustra monuisse *Ciceronem l. 1. d. Offic.* quod omnis, quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debeat à

in discernendo Jure Naturali ab illius probabili ratione.

in ferendis iis, qui in Quaestione dubia suae Reip., ferunt.

Utilissimis Juris Naturae materiis incumbendum.

in Studio Juris Civilis diligenter attendende

B 3

defi-

(a) Conf. Huber, *Digress. Part. 1. lib. 4. c. 13. seqq.*



necessariae de-  
finitiones.

divisiones.

Et axiomata.

repetitiones  
commendan-  
dae.

Juri Justinia-  
neo jungenda  
Imperii & Pro-  
vincialia Jura.

curiose appli-  
canda sunt Ju-  
ra Justiniana  
ad Territoria  
Imperii.  
exempla.

definitione proficisci, ut intelligatur quid sit, de quo agitur; verum, in ea memoria imprimenda, sublevet operam judicium genuinusque ejusdem intellectus. Deinde divisiones præcipue, una cum differentiis specificis, probe observentur, & axiomata, per applicationem ipsam, innotescant, facta à facilioribus ad difficiliora transitu. Apprehensorum autem promittudo, per continuam repetitionem, tam specialem quam generalem, conservetur, ne pereat multi temporis labor, & in Sisyphios abeat inanesque sudores. Ubi levamento methodi non minimo cedit, definitionum ac divisionum æqualitatem in Institutionibus ac Digestis retinuisse, & Justiniano Juri Constitutiones Imperii nostri ac Provinciales, unà cum Ufu Moderno, junxisse; ne, cursu studiorum finito, Praxi animum addicturis novus, in cognoscendis illius principis, exhauriendus sit labor. Sed quoniam singula fere Territoria Germaniæ Peculiari utuntur Jure, qui Patriæ se destinavit, istius sancita haud negligat, reliquis ingenium ita excoluisse prodest, ut facili negotio particulares capiat determinationes, quas, in Collegiis Juridicis judicantes, utroque oculo respicere fas est, ne alienam ab usu fori, in quo jus dicendum est, pronuntient sententiam. Præterea Juris Justiniani argumenta magna cum circumspectione ad Statum territoriorum Germaniæ applicanda sunt, ne his fiat injuria; à qua liberare non licebit eos, qui Principum Imperii Constitutiones Juri Prætorio accensuerunt, actionesque inde descendentes pro annalibus habuerunt, cum ista opinio minime conveniat augustissimis Juribus Superioritatis Territorialibus, *J. P. O. & M. art. 8. §. 1. & 2.* stabilitis. Unde meritò Fac. nostra Juridica *Mens. Nov. A. 705.* perpetuas esse istas actiones asseruit. Nec eorum sententia suffragio digna est, qui libertatem Statuum Imperii ita Juri Civili adstringunt, ut contra illud statuere, aut de eo dispensare, in suo territorio, non valeant; quorum opinio pariter rejecta est memorata Facultatis



tatis iudicio *Mens. Jun. A. 704*. Nihilominus Juris Civilis analogia applicationem satis convenientem tulit *l. 1. §. f. ff. de aqu. & aqu. pluv. arc. act. j. l. 2. §. 3. eod.* cum de possessoribus domaniorum, non nisi immemoriali praescriptione, in securitate plenissima constituendis, tractaretur *Mens. Sept. A. 703*. ista enim vetustas temporis juris, sive legis, instar est. *d. l. 1. §. f.* eademque praescriptio adversus tributorum exactiones, ad immunitatem conciliandam, juxta *l. 6. C. d. praescr. 30. l. 40.* desiderata *Mens. April. A. 701*. nec admissa confusio stationum fiscalium, cum debitor contra Fiscalem, multam postulantem, compensare vellet, propter salarium ex arario Populi solvendum. *l. 1. C. d. compensat.* ceu judicavit Suprema Curia Provincialis nostra *Term. Reminisc. A. 1698*. Contra *Lex. C. d. Legib.* dum leges condere & interpretari soli fastigio Imperatoris convenire indicat, infeliciter ad Constitutiones nostri Imperii faciendas explicandasque transfertur, cum istud negotium, non solius Imperatoris arbitrio relictum, sed Comitiorum Juribus annumeratum sit in *J. P. O. & M. art. 8. §. gaudeant*. Quoties in Jure Publico versamur, ratio imperat & Reip. salus ut arctissimum, quo Caput & Membra Imperii, bono communi, colligantur, vinculum nec arctius, quam Jura patiuntur, adstringatur, nec, cum dispendio tranquillitatis, laxetur aut dissolvatur. Hinc inverecundi sunt assentatores, qui Principum suorum prerogativas ita extendunt, ut, vel ipsis audientibus aut legentibus, pudorem incutiant molestique sint; incauti vero prodigique dispensatores, quoties jura, auctoritate ac fide archivorum turanda, temere derelinquunt, & non, suspendendo iudicium, quando coecutientibus sunt similes, ea potius dimitunt, quam immatura onerant atteruntve censura. Infelix est sapientia affectu erga Rem Publicam, quae est, defutura. Sit itaque Imperium Romano-Germanicum unum corpus, quo spiritus sanguisque feliciter omnes penetret artus, arteriasque; at, foederi-

*ex l. 1. §. f. ff. d. aqu. & aqu. plus. arc.*

*ex l. 6. C. d. praescr. 30. l. 40. ann.*

*l. 1. C. d. compensat.*

*l. f. C. d. legib.*

*Cautio, in Principis Juris Publici admittendis, observanda.*

*circa Unitatem Reip. Rom. Germ. assentandam & limitandam.*





deribus, ad conservacionem universi singulorumque amplificationem tendentibus, invalescant vires, absque alterius injuria, & armis potentes Status suis sibi consiliis, viribus, viris impendiisque parent ad incrementa præmiaque viam. Separantur Territoriorum & Regnorum jura; ita tamen ut vigor potestatis virtutisque, in unum Imperantem, divino nutu collatus, augeat Principatus quoque vim, fortitudinem ac felicitatem. Non eligatur novandi studium cum jactura pristinae utilitatis, securitatis & tranquillitatis: plerumque enim nova, cupidis excepta oculis, judicii aciem fallunt fugiuntve, ac, cum amiserunt fucum novitatis, nuditatem suam detegunt, Auctoribus, quos circumvenerunt, futura, vice ornamenti detrimento. Præbeat Jus Feudale veritatis documentum. Posteaquam Mauritius, Jctus, de scripto Antonii Mericutii de Prato veteri edendo spem fecerat, anhela- bat Orbis eruditus Libri istius lectionem, & moram tanti Viri agrè ferebat; verum expectationi huic satisfeci. It Cui, immortali laude dignissimi, Schilteri scilicet, fides, qui, è Bibliotheca Regia, dum Mincuccium prodire curavit, posteritas & spei jucunditatem abjecit, & singularem utilitatis ac auctoritatis opinionem. Eadem fere fata Alemannici Juris Feudalis promulgatio experta est, quæ eam, quam Auctori persuasit, potestatem & obligationem apud alios evincere non potuit. Peregrina verò principia quàm sint Patriæ Libertatis amanti- bus, & studia veritatis sectantibus, inimica ex Jure Canonico cernitur. Nam dum Pontificum intentioni æquo plus servit, omnium Rerump. juribus, ipsique rerum gestarum veritati, insidiatur. Venerandi studio erga Jus Pontificium, etiam apud faventes, plurimum detraxit *Cap. Venerabile. 34. X. d. Elect. & el. potest.* dum vestigiis audacissimi Dictatoris, Gregorii VII, insistens Innocentius III. id egit, ut inviolabili Electorum, in Rege Romano constituendo, juri, in Aurea Bulla, Lege Fundamentalī, confirmato se immisceret & cogni-

*novas opinio-  
nes ponderan-  
das.*

*declaratio ex  
Jur. Feud.  
in Anton. Me-  
ric. edit. Li-  
bror. Feud.*

*in Jure Ale-  
mann. Feud.*

*Principia pe-  
regrina sunt  
eliminanda;  
maximè ex Ju-  
re Canon. qua-  
tenus Liberta-  
ti Imp. Germ.  
repugnat.  
exempl. 1. in C.  
34. X. d. electi.*



gnitionem, de Imperatore approbando, ad se pertinere confidenter adstrueret, qui hac in parte non feliciorum Libertatis Germanicæ assertorem egit, quam Johannes XXII. in *Cap. un. Extravagantium* Constitutionum, quas emisit; quandoquidem excommunicationis fulmine, bruto tamen, sæviit in eos, qui Vicariatum Imperii usurparent, istumque Sedi Romanæ denegarent. Sed non passi sunt Potentissimi Juris quæsi defensores suis, ex Aurea Bulla c. s. liquidis, Juribus quicquam decedere, re ipsa depellendos esse istos insultu rati. Pariter absque fructu eventumque merito fuerunt Clementis V. curæ, quando in *Clem. un. de Jurejurando* à Romanis Imperatoribus juramentum fidelitatis exegit; quod tantum esse Protectionis & Advocatiæ, Capitulationum indubitatus tenor evincit, æquali defensione Protestantium Religioni promissa. Sed ne pluribus Vos morer, Auditores omnium Ordinum Honoratissimi, ad primarium, quod dicendi anam mihi aperuit, institutum accingor. Scilicet Consultissimus Commendator, more Majorum, diserta voce, Duum-Viros, ad Honores summos adspirantes, pro meritis, ab integritate ac celebritate natalium, eruditione, diurnis nocturnisque vigiliis parata, ratione per industriam ac peregrinationem exulta, nec non virtutis splendore, innocentissimis moribus conciliato, ita commendavit, ut non nisi invidus, aut virtutum contemtor, sit, qui honestissimis desideriis suffragari nolit. Itaque, quò Justitiæ militaturos, adversus rabularum infinitasque alias fraudes, sacramenti religio ad infucatam fidem, DEO καρδιωγώς, obstringat, relictis subselliiis, accedite ad locum destinatum flexisque genibus, ac digitis duobus Sceptro, quod Famulus universitatis porriget, impositis, Divinæ Vos Majestati, ad præstandum fidelem Themidicium, devincite.

ambrosio

2. in Cap. un. Extravag. Joh. XXII.

3. in Clem. un. de jurejur.

Licentiandum commendatio.



admonitio.

Licentia-  
rum creatio.

Juramentum.  
Per solutum hoc Jusjurandum instat perpetua sit Tubæ,  
quæ fidem fiduciamque Vestram excitet, ut, Justitiæ militan-  
tes strenuè, ultimam haud reformideris Tubam, qua, ad ex-  
tremum severumque vocatj Judicium, reddituri estis actio-  
num Vestrarum rationes; DEUS verò animos Vestros  
amore incendat Justitiæ, Sapientiæ ac Virtutis. Quod igitur  
DEUS Triunus faustum fortunatumque esse, & in San-  
ctissimi Nominis sui Gloriam, Justitiæ, Academiæ, & in pri-  
mis Facultatis Juridicæ, decus & incrementum, ac Reip. or-  
namentum, cedere jubeat, Ego D. Lüderus Mencke, Faculta-  
tis Juridicæ Ordinarius & hoc tempore Pro Cancellarius

Te JOHANNEM ABRAHAMUM  
ROTHE,  
Te M. CAROLUM GOTHOFREDUM  
ITTIGIUM,  
LIPSIENSES,

Votum.

Utriusque, tam Civilis quam Canonici, Juris, Licentiatos creo  
publicaque voce, in hac splendidissima Panegyri, renuncio,  
omnia Jura, Honores & Privilegia, huic Ordini competen-  
tia, Vobis, in amplissima forma, conferens, idque facio in  
Nomine Sacrosanctæ Trinitatis, DEI Patris, Filii & Spiritus  
Sancti. Numen Benignissimum infinita, qua homines  
beat, Gratia conatus Vestros secundet, eosque in sui  
Nominis Gloriam, Patriæ illustris tripudium, Parentum  
Patronorumque haud vulgare gaudium, hujus &  
illius Seculi felicitate coronet.



III.

PROGRAMMA. ANTE. PROMOTIONEM. DOCTORALEM.  
PUBLICATUM.

PROCANCELLARIUS.

LÜDERUS. MENCKE. JC.

FACULTATIS. JURIDICÆ. LIPSIENSIS.

ORDINARIUS.

ACTUM. SOLENNEM.

PROMOTIONIS. DOCTORALIS.

BINORUM.

JURIS. LICENTIATORUM.

INDICAT.

ET.

AD. EUNDEM. IN. TEMPLO. PAULINO.

CELEBRANDUM.

FESTI. SECULARIS. DIE. SECUNDO.

OFFICIOSE. INVITAT.

B. C. D.

**U**tile est Reip. mobiles homines esse dignos majoribus suis,  
& quia valet apud nos clarorum hominum, & bene de  
Reip. meritorum memoria, etiam mortuorum. Ita  
actu rectè merentium & post fata commendando-  
rum memoriam non patitur perire Cicero, (a) reprehendit-  
que Epicureos, qui, voluptatibus addicti, insanire dicebant  
eos, qui Reip. esse consulendum, officii rationem in omni vi-  
ta, non commodi, habendam, subeunda esse pro patria peri-  
cula, vulnera excipienda, mortem appetendam, ducebant.  
Degeneres enim isti Epicuri Sectatores, voluptati non impera-  
bant, sui Ducis exemplo, qui idem fere, quod Virtus desi-  
gnat, sub nomine voluptatis, referente Seneca, indicabat, (b) &  
quam,

(a) Cicero Orat. pro P. Sextio c. 21.

(b) L. Ann. Seneca. de Vita Beata. c. 12. seq.



quam, non sine improbitatis sensu, prodigebant famam, ipso facto in Auctore suo tuebantur, Epicuri imaginem in tabulis, poculis & annulis exprimendo venerandoque. (c) Quæ res uti Gentilibus decora est, ita multò magis Christianis Virtutes majorum, instar Cynosuræ, observantibus digna censetur. Itaque inter imminentes Academiae Seculares Plausus ingratus foret Jctorum Ordo, si eorum, quorum curis celebritatem, splendorem & ornamenta debet, immortalemque memoriam conservare cupit, modesta encomia omitteret. Non tangam nunc eos, qui clavum illius tenuerunt & gubernacula tractarunt, quippe de quibus agendi futura est in posterum occasio, sed reliquos, qui pro Justitia nocturnas susceperunt diurnasque, in salutem multorum, vigilias commemorabo, non tam dicturus quantum eorum virtus & mea observantia exposcit, quàm tenui penicillo laudatissimos labores, ut ex ungue Leones cognoscantur, delineaturus. Ut verò instituto serviam, non recensebo ex Seculo proximo celeberrima *Wirtbiorum, Heilandorum, Romanorum, Borniorum, Schaberorum* nomina, quorum sollicitudine illustrata est Facultatis nostræ fama & ultra Germaniæ fines propagata, neque *Amadeum Eckholtum*, quem Austria Saxonæ dedit ornandæ, ne brevitatem magis attrivisse eorum existimationem, quàm representasse, videar. Potius præteritis hisce, qui Siderum instar Facultatem laudatissimam hodiè illustriorem reddunt, ad vita novissimè functos *Duum-Viros*, quibus eadem plurimum debet ac debitura est, videlicet *Bartholomæum Leonbardum Svvdendorfferum* & *Augustum Benedictum Carpozovium*, Jctos, respiciam: quandoquidem horum imago ac viva laborum memoria ita singulorum obversatur oculis, ut non sine macula prætermitti, commendari verò, non pro animorum virtute, qua excelebant sed pro ingenii modulo, queant. Sicuti autem, ingravescente jam ætate, *Pomponius* singulari cupidi-

(c) Cicex. de finib. bon. & mal. c. 3.



piditate discendi arsit; ita *Smendendörfferus* noster proficiendi publicoque serviendi curam, non nisi cum ultimo vitæ momento, deposuit, sudoribus, in commune decus Justitiæ exantlandis, immoriturus. Et huic quidem ad apicem eruditionis in Jure attingendum nihil defuisse censeo; siquidem tam Natura quàm Ars boni & æqui in eum ornandum conspirasse videtur. DEUS enim, Auctor Naturæ, solidis instructum viribus ita corroboravit, ut nec vitæ vicissitudines, nec immixtæ felicitatibus molestiæ, vigorem notabiliter consumerent frangerentve. Hinc plurimum temporis, quod necessaria quies apud alios occupat, doctis impendebat chartis, & parcos in vinum, in oleum liberales, faciebat sumrus, ac valetudo adeo constans laborum gravitatem levabat, ut, admirando plane exemplo, ab A. 1669. ad 1705. singulis Supremæ Provincialis Curiæ nostræ Terminis interesset, atque, styli & Justitiæ moderamine, universis subsidio veniret. Præterea auspiciatò Controversiarum Patrociniis ab initio destinatus, tam exactè causas oravit, ut in se omnium ora oculosque converteret, posteaquæ, judicandi officio sanctissimè functus Saxonix emolumentis, ceu Lucubrations Fibigianæ, Eckholtianæ, Feudales, Actionum materiam exhaurientes aliaque testantur, quicquid peritiæ ac experienciæ, utraque via, comparaverat, consecraret. In docendo quàm salutari instituto Theoriæ Præcosque Exercitia consociaverit, Gordiosque Legum Nodos, Philosophiæ & Juris Scientia adjutus, solverit, publica edocent scripta, etiam sola immortalitatem nominis paritura. Tantis virtutibus paria destinavit præmia Cœli Benignitas, sive enim auctoritatem quæsitam, sive Academiæ erga ipsum fiduciam, sive consilii copiam, sive ex Senio profectam felicitatem intuear, summa in eodem deprehendo omnia, quem, tanquam Oraculum Jctorum, consulebant Prudentes, ut Seniore[m] tota venerabatur Universitas, Reverendum Capitulum Cathedrale, quod est Martisburgi, in arduo





Decani munere suspiciebat, & Socerum ex voto fluentes Filiarum, varia virtute ornatisissimarum, hymenæi in Familia & Generorum felicitate acquiescere jubebant, posteaquam rarissimo optimoque omine diu socias junxerat cum Patre de venerando curas, in Supremæ Curia Provincialis, Professorum, Decem-Virorum & Facultatis Juridicæ Collegio, Capituloque Martisburgensi. Tam insignem laude vitæque Virum Musa vetat mori. Ad alterum ex Duum Viris supra laudaris transiens, *Augustum Benedictum Carpozovium* puto, JCrum, tacitam in ipso Nomine commendationem harere sentio, quod Fama intermori apud Eruditos non ante permitteret, quàm, Mundo in ruinam flammamque verso, meritorum hujusmodi omnium una erit oblivio. Inprimis ipsum candor amorque in Amicos & Academiam perennaturis credi monumentis cupit, maximè cum Integritas animi Pierasque cum doctoribus Jurisprudentiæ haud vulgaribus in fidelem, nec infructuosam, coierit societatem. Doctorem enim sine pari, Perillustrem *Jacobum Bornium*, JCrum, nactus, è Ducis tam Excellentis Schola ad RemP. accessit, acris, limati subactique judicii vim in Cathedra Foroque proditurus. Et quia id beneficii emerfuris præbet Lipsia, ut uberrimam proficendi occasionem, per munus diversitatem, præset, eodem gavissus ususque in Suprema Provinciali Curia, Consistorio, Facultate Juridica & Docendi Officio, isto cum successu labores pertulit, ut experientiæ rara felicitas senectutem inprimis, quam habebat satis tranquillam, ornaret eveheretque. Quoniam autem benè viventes male nequeunt mori, infinita Cœli Gratia adeò compositos ad emigrationem exoptatissimam ipsi dedit spiritus, ut vasa colligenti iterque extremum post deliberationem ingredienti esset similis, suoque exemplo rectè mori doceret. Non potui verò dememinisse eorum, quos dixi, JCrorum, siquidem ipsorum doctrinæ, fidei, amoris plurimum in docendo judicandoque acceptum fero. Quod reli-



reliquum est, nostra Facultas Juridica decrevit Doctorales in Jure Honores Duum-Viris, quibus nuperrimè Licentia gradum contulit. Cùm igitur in ipso *Seculari Feslo* meritum ipsorum receptisque solennitatibus satisfaciendum sit, & **SACRA MAJESTAS REGIA**, *Administratorio nomine Episcopatus Martisburgensis*, pro Reverendissimo Serenissimoque Principe ac Domino, **DOMINO MAURITIO GUILIELMO**, Duce Saxonia, Julia, Clivia, ac Montium, ut & Angria & Westphalia, modò dicti Episcopatus Martisburgensis Postulato, Landgravo Thuringia, Margravio Misnia, nec non Superioris & Inferioris Lusatia, Comite Principali Dignitate Hennebergico, Comite Marca & Ravensberga, Domino in Ravensstein, &c. Domino meo Clementissimo, Pro-Cancellarii vices mihi benignissimè indullerit, Ritui huic, *Feriatò Die secundo*, qui incidit in d. 5. Decembris, vacare animus est. Itaque Rectorem Academia Magnificum, Comites Illustrissimos, Utriusque Rei P. Proceres, ut & Generosissimos Nobilissimosque Studiosos, Omnesque alios nostro Ordini faventes, ut benevola sua, quam exoro, præsentia, Panegyrii istam, in *Templo Paulino* peragendam, exornare velint, submissè contendo, gratæ mentis pignus prompto obsequio nunquam quam non luiturus. Dab. Lipiæ. Kalendis Dec.

An. MD CIX.



## IV.

## Oratio Festi Secularis die secundo dicta, de Facultatis Juridica Lipsiensis incrementis fatisque.

P. P.

*Grati animi  
& letitiae con-  
testatio gene-  
ralis.*

**Q**uando Seculare hoc Festum infinitas, pro beneficio-  
rum multitudine, immortalis DEO agendas gra-  
tes, nec non devotissimas, pro futura felicitate Aca-  
demia nostrae, preces exposcit, illiusque fortuna,  
propter communes pro istius flore ac robore conservando  
augendoque curas, amorisque sinceri flammam, intimos ani-  
mi mei sensus movet, lætor Musas, celeberrimum inhabitante  
emporium, omne fausto, toties ex lignis, opinione vulga-  
ribus, venustissimos formasse Mercurios. Nec minus gau-  
deo circa præteriti Seculi finem Literarum Artiumque Com-  
mercium novam invenisse reliquas Orbis partes peragrandi vi-  
am, Actis Eruditorum A. 1682. editis, Auctore ac Directore  
Patrueli meo, qui nunc *en àyiois* est, *Ottone Menckenio*, cujus  
operam, haud infeliciter cœptam, æmulus Paternæ Virtutis,  
Filius ita continuat, ut Germanos laudatissima Anglorum,  
Gallorum, Italarum vestigia, quæ Hockio, Rockio, Nazari  
debemus, ex voto pressisse, Lipsiæque celebritatem inter Eruditos,  
per eadem Acta, haud exigua incrementa sensisse, evin-  
cat veritas. Præterea nundinarum & commerciorum usus  
domicilia Musarum, ad constantem, Themidos quoque, cultum  
composita, non turbat sed adjuvat evehitque. Siquidem  
Linguarum exoticarum eloquia, quibus Angli, Itali, Galli,  
Belgæ aliisque distinguuntur, in nativa puritate sua, audiuntur,  
sermonesque, uti res fert, Studiosi miscent, dari sui  
promittunt non inutilia experimenta. Docendi discendi-  
que officium, extra Nundinas in Auditoriis publicis nunc ea  
exercetur sollicitudine, ut omnes Jurium partes in iisdem  
quot-

*Specialis pro-  
pter celebra-  
tatem Academ.  
promotam A-  
ctis Erudito-  
rum.*

*Musarum &  
Commercio-  
rum conjun-  
ctionem & flu-  
entes inde uti-  
litates.*



quotannis absolvantur, neque illud, inter strepitus Nundinarum, in Privatis quiescit Auditoriis, aut à sedulis Doctoribus Cultoribusque Juris negligitur; & hos quidem, singulis Annis, Cursum Juris à capite ad calcem, per Pandectas, Jus Feudale, Canonicum & Publicum deducens, solor excitòque salutari monito: olim istius industriæ meminisse juvabit. Interim ad Facultatem Juridicam, unà cum ipsis Mercatoribus, ex angulis Europæ etiam remotissimis, advolant ambiguarum contententium lites, atque in iis decidendis consiliisque suggerendis occupati Assesores diurnis nocturna silentia jungunt intervallis, & avarum faciunt temporis impendium, non sine ardoris collocati præmio & existimationis suæ augmento. Plurimum quoque ad mores rectè formandos poliendosque facit, quòd Summi ex Aulis Patroni, sua Lipsiam præsentia exornantes, jam clientibus innotescendi studiaque sua commendandi occasionem præbent, jam in Propinquorum aliorumque profectus, ac studiorum successus, inquirunt, auribus oculisque suis, non alienis, fidem habituri. Atque hæc ratione Docentibus quoque aperitur iter, quo incedentes, id, quod ad Academiæ utilitatem pertinet, aperiendi ansam inveniunt, subsidiumque exorant, cujus virtute vel egestati bonarum mentium, vel abusibus pereuntium tollendis, prospiciatur, currentibus autem calcaria admoveantur. Taceo Docentium Ordinem in probis confirmari institutis, defectibusque, si quos deprehenderit, sponte sua emendandis invigilare, fiduciam studiorum & industriam testari, & per Practicos labores, cum Theoreticis plerumque coherentibus, in rem præsentem quasi, applicando principia Juris, Studiosam Juventutem vocare, atque ita DEO fidem, proximoque amorem præstare. Cui felicitati si quid accedere possit, à Patronis, qui ingenti & nunquam satis de prædicando feruntur in literas affectu, exoranda esset patientia, quæ, non secus atque in promovendis sæpè fit commerciis, quicquid

D

Stu-





Studiorum vigori & splendori cedere potest, in commune consuleretur, &, quod approbationem meretur, Divino Auspicio, Principis clementia ac indulgentia, Publico Bono, ad salutare effectus deduceretur. Omitto Civitatis, in Germaniæ meditullio sitæ, à munificentia erga pauperes, morum elegantia, splendidaque ædificiorum structura, omnium rerum abundantia, hortorumque amenitate commendationem, ad ea Divini Numinis Beneficia Fataque, quæ Ordini Juridico, Seculo, quod præterit, fuerunt propria, transiturus. Quoniam autem gratam recolere memoriam omnium, qui Facultati nostræ decori fuerunt, nec temporis nec loci nec instituti patitur angustia, quantum felicitatis in eam collatum sit, datis Præsidibus oneri ferendo muneri que exornando paribus, attingam, vicissitudinibus fatorum, appendicis vice adjectis. Præter meritorem amplitudinem Michaeli Wirthio contigit Seculi II. Academiæ finiendi & III. auspicandi fortuna, cui Successor non impar, Leopoldus Hackelmannus A. 1612. datus est, qui illustres scribendo Quæstiones Civilis, Pontificiæ, Feudalis & Saxonici Juris inclaruerat, is Lampada Francisco Romano, ab ipsa Familia nobilissimo, tradenda reliquit, quæ cum ipse, ab Anno 20. ad 36. magna cum sollicitudine, gessisset, concrediti sunt hi fasces Sigismundo Finckelthufio, à laborum patientia non minus, quam ingenii præstantia, illustri. Hunc tam insignis tenuit literarum amor, ut in Græca Lingua Disputationem, περὶ ἀθανασίας ψυχῆς, de immortalitate animæ, defenderet, &, quàm laudabile sit Juris Studio Græca legisse & intellexisse, suo exemplo, Pomponii, J. Cti, vestigia secutus, amplissimisque, quibus condecoratus est, præmiis corroboraret. Expeditissimum, quod nactus erat, ingenium & eruditio non ex trivio collecta, sed, peregrinando viresque in Theoria & Praxi confirmando, aucta tantum meruit amorem, ut sollicitudinibus pro ReP. quibus exhauriendis plures aliàs vix sufficiebant,

unus

Beneficia Numinis in Facultate Jurid. collata in primis I. per Ordinarios.

1. Michaelem Wirthium.
2. Leopoldum Hackelmannum.
3. Franciscum Romanum.
4. Sigismundum Finckelthufium.



unus admoveretur, & in eo evehendo Aula, Academia & Civitas Lipsiensis quodammodo certaret. Sanctissimè Ordinarium officio functus, peculiare ac perenne monumentum suæ, pro Ordine Jctorum, fidei erexit; siquidem Auditorium in Collegio Petrino, inimica vi, solo æquatum restituit, curavitque, ut è rudibus quasi novum, idque multò venustius, excitaretur. Et quia muneris inuncti gravitas Fori certamina non sola respicit, verùm docendo, disputando scribendoque Academia famam ad externos transferri expedit, haud perituris credidit chartis tam Controversias Feudales & Observationes Practicas, quàm Tractatum de Jure Patronatus, ab utilitate haud vulgari commendatissimum. Tantæ virtutis Antecessori dignissimus est datus successor A. 1645. Benedictus <sup>5. Benedictum</sup> Carpovius, Jctus incomparabilis, quem si cum Antistio Labeone componas, cujus Libri quadringentis Voluminibus, teste Pomponio in *l. 2. §. 47. ff. d. 0. J.* constabant, eorumque plurima inter manus versabantur, materiarum amplitudinis & utilitatis pondere, hac illis palmam præripuisse, non Saxonia, non Germania, sed Europa testabitur. Mallem silere quàm pauca dicere de Viro tam eminentis ingenii, pertinacis industria, pietatis eximia. At, in quo mea deficit, quæ nulla est, facundia, apertum differendi campum ingrediuntur tot Aulae, Auditoria, Consistoria, Collegia Juridica, Tribunalia, & eloquendi curam levat omnium Vestrum constans de rei veritate persuasio ac scientia. Opera enim Carpoviana Forum ingredi cupientibus vice cujusdam sunt Bibliotheca, ex qua, in Causis Criminalibus & Civilibus, libellos formantes normam, actores & rei subsidium, Patroni causarum hæsitantes consilium, defensionem molientes telum desumunt, & in suam litigantiumque utilitatem convertunt. Tam felici conatu ad immortalitatem nominis contendenti Libros vice liberorum esse voluit DEUS, cum posteros reliquerit nullos. Verùm inter tot labores defudantem, & famæ celebri-

5. Benedictum  
Carpovium.



6. Georgium  
Tobiam  
Swenden-  
dörfferum.

tate atque experientia Facultati nostræ ex omni voto confu-  
lentem, eidem subduxit imperium Johannis Georgii I. viva  
memoriæ, ad Secretiores pro ReP. Curas Viri hujus Virtutes  
evocantis; unde surrogatus est in vacantem locum A. 1673.  
Georgius Tobias Swendendörfferus, Vir, ex eruditione Juris  
solida Linguarumque peritia, quam peregrinando quasi ve-  
rat, domi forisque notissimus. Ita enim instruxerat per tri-  
ennium, & quod excurrit, sua per Belgium, Angliam, Galliam  
& Italiam itinera, ut apud Clarissimos Philologos ac JCTos  
commendatissimus esset, & Reip. ornandæ torum se destina-  
ret. Hinc præmia Virtutis in optimè merentem conflue-  
runt, & beneficio ætatis, quam consummavit, dum rarissimo  
exemplo §4. Annum attigit, tam exquisitam controversias de-  
cidingi promptitudinem & experientiam adeptus est, ut Col-  
legiis omnibus singulari esset admirationi. Inusitata autem  
pollebat memoria rerum noviter & ante plurimos annos ge-  
starum judicatarumque, ac propterea ad eam, Inventarii in-  
star, quod suo ordine digestas res notabiles contineret fide-  
lissimeque conservaret, recurrebatur, sive Curia Suprema  
Provincialis, sive Academia, sive Facultas Juridica consilii  
opisque esset indiga. Vicit omnes, qui ipsum præcesserunt,  
Ordinarios diuturnitate administrationis tam ardui muneris,  
viginti & octo annos præsidium Facultati nostræ, sublimi in-  
genio, acri judicio, & auctoritate, meritis canisque compara-  
ta, præstando. Hunc placida morte vinculis vitæ mortalis  
solutum A. 1681. excepit Jacobus Bornius, Perillustre JCTorum  
decus, neque enim, constantissima in RemP. fide, negotio-  
rum prudentissimè confectorum memoria, Aulicarum rerum  
peritia, eloquentia, morum venustate ac auctoritate, habebat  
parem. Cui quemadmodum omnia debeo, ita ejusdem ve-  
neror Patrocinium, quo extraneum liberaliter excepit, excep-  
tumque fovit & consilio salutari promovit. Admirandæ  
animi dotes, quæ vim virtutemque inspirabant Collegiis, qui-  
bus

7. Jacobum  
Bornium.



bus præerat, efficiebant, ut Aula tandem hunc Solem, sibi potiore vindicatum jure, assereret, & Lipsia quidem radiis illius, ob consilii præstantissimi copiam, nunquam careret, præsentia tamen parcius recrearetur. Nihilominus, in ipsa sudorum gravissimorum vicissitudine quietem, in studio universonum commodis consulendi voluptatem, & cura pro Collegiorum integritate ac flore felicitatem quarens, consiliis pondus, deliberationibus decisionem, industriæ excitationem dabat, in ultimo Senio Junioribus quandoque, assiduo labore, palmam præripiendo. At Virum, laude mea multo majorem præterire nunc malo, quam mea in dicendo infantia meritorum, nec non Liberalitatis in Facultatem nostram colatæ magnitudinem attenuare; quandoquidem eam suo tempore plenius exequi licebit. Ad Fata Facultatis nostræ deproperans Beneficiis immortalis DEI accenseo, quòd Ordinarium, tanquam Decanum, Lipsiæ denis, pro Justitia fortissimis militibus, intelligo totidem Assessores, Collegas meos honoratissimos, præfecit, qui, haud interrupto in Themidos castris studio Triariorum meruerint tueanturque locum; siquidem, antequam laudatissimo huic Collegio, juxta Promotionis seriem, adsciscerentur, animum, experiendo varias acies, excoluerunt, & armorum suorum virtutem, ipso roboris exercitio, confirmaverunt, posteaque non tantum RemP. consilio, in summo Provocationum Senatu, & judicandi officio, in Suprema Provinciali Curia, sed etiam Antecessorum munere Academiam exornarunt. Nec est, quod putes casu tot eruditionis Specimina, per Lectiones Publicas, easque satis diuturnas, Examina, maximè rigorosa, Disputationes, ex quibus ea, quæ pro Licentia habetur, absque Præside defendenda, exacta esse à Majoribus; optimo id factum proposito, ne solidis destituti fundamentis in Facultatem nostram vel irrepent vel irrumperent, & sua Juris ignorantia eidem oneri essent radioque. Unde Viris in Publico Privatoque Jure

II. per Notabilem Numburum conservatum & Dignitatem Assessorum.

curamque in Promotionibus.



Pericissimis ita abundavit hucusque Lipsia, ut aliis ubertate sua prospicere, iisque JCTos, qui Justitia essent & Reip. insigni emolumento, exhibere potuerit. Quoniam verò Promotiones Doctorales haud promiscuæ Academiis non vanam Virtutis pariunt opinionem, diligenter eò allaborabitur, ut etiam hi, qui Juribus Doctorum extraneorum contenti sunt futuris, non nisi suo defensi Præsidio, à nobis in posterum Supremis Honoribus donentur: ne enim sumptuum magnitudo bonas mentes deterreat, horum quoque meritis, quos studia feliciter excolta commendant, remuneratione Honorum justissima deesse religioni ducimus. Sed quemadmodum malefactis offensum Numen fulmina iracundiæ suæ emittit, ut, perituros aliàs, homines, emendet idoneosque accipiendis beneficiis reddat: ita, ad alienum hoc, à Clementia ejus, institutum provocatus est DEUS per peccatorum, quibus opprimebamur, molem. Sensitigitur Academia nostra etiam, morus bellorum, quibus, per integrum tricennium, concussa Germanorum salus ad pacem adspiravit; qua restituta rediit expulsa felicitas & Saxoniam Musasque in ea habitantes amicissimum recreavit otium. Nec atra lues nostris pepercit laboribus, justitio iis A. 1680. indicto, ubi magna in Auditoriis solitudo deprehendebatur, cum ipse, ad hæc Musarum Castra reversus, pristini memor eram, in Statione hic loci figenda, consilii; imò recenti tenemus memoria Svecicam calamitatem, qua, nervo rerum gerendarum pecunia exhausta, diuturnam multis reliquit, in are alieno dissolvendo, molestiam. Attamen, imminente gravissima ruina in armistitium pacemque conversa, levavit Coeli Benignitas crucem, quam imposuerat, & eorum, qui misericordiæ immemores fuerunt, ita excitavit memoriam, ut, divina manu tum consilii copiam, virium virtutem, armorum usum, nihil tale opinantibus, excidisse, cum admiratione quadam gestorum recordati, nobiscum peryideant. DEI fuit hæc Nemesis, cujus Pater-

Facultat. Ju-  
rid. Fata.



Paternam emendationem exosculari liberos, non interituros, fas est. Interim meos tum labores nec interrupit nec sustulit arumina gravitas & rara, quæ erat, litigantium turba succrevit postea suisque causis medelam frequenter quasivit. Utinam verò grata Numini Concordia labores istos, communi Orbis bono, minneret ferocesque acinaces in ligones converteret: nam & Fori litigia & Bellonæ furores nondum defavisse ingens contententium & ad arma conclamantium cœtus, cum irreparabili seculi præsentis jactura, probat. Itaq; humana felicitatis Auctorem & Conservatorem, DEUM, precibus ardentissimis fatigamus, ut *POTENTISSIMO PATRIÆ PATRI* Imperium faustissimum, in Poloniarum Saxoniarq; solatium, largiatur, Pacis & tranquillitatis divitias in Imperantes parentesque effundat, iisque Musarum hanc Sedem, quarto Seculo, in invidiam efflorescere jubeat: Sic enim præsens Jubilæum fortunatissimum erit devotissimæ, erga Datorem tantarum dotium, contestationis initium, progressusque votorum superabit summam, egressus autem, nisi cum extremo Mundi Die prævenierit DEUS, Divinæ Benedictionis thesaurus aperiet locupletissimos. Quod reliquum est, clementissimè conceditum Pro Cancellarii munus, ut Compendium solennitatis fiat, ad Actum Promotionis me evocat, quem dum ordior, à Dominis Licentiatibus contendo velint locum hunc sublimiorem conscendere & occupare. Prodierunt, Auditores omnium Ordinum Honoratissimi, Viri morum probitate & elegantia aliis nequiquam secundi, sacratissimarumque Legum scientia egregiè instructi, proptereaque Licentiatibus Juris nuperimè creati, hunc supremæ Dignitatis titulo, pro meritum magnitudine, ornandi. Cum verò Antiquitas, ad augendam Actus Solennitatem, certos invenerit ritus, quibus adhibitis Doctorum Dignitate condecorandi de præcipuis Virtutibus, Ordinis decus promoventibus, admonerentur, suorum ordine expediturus, brevem eorum rationem reddam

Votum,

Actus Promotionis Doctoralis.



dam exponamque. Hoc loco pluribus explicatæ sunt Cere-  
monia respicientes 1. Adscensionem Cathedræ Superioris.  
2. Pilei. 3. Pallii. 4. Annuli. 5. Libri. 6. Osculi usum.

Quod itaque Unus & Triunus DEUS benevertat, & in  
Ecclesiæ, Academia, totiusque ReiP. Christianæ felicitatem  
cedere jubeat, Ego *D. Lüderus Mencke*, Facultatis Juridicæ  
Lipsiensis Ordinarius, ea, quæ mihi clementissimè indulta  
est, autoritate, nomine Amplissimi Ordinis Jctorum, Vos Ju-  
ris Utriusque Licentiatos:

Te JOHANNEM ABRAHAMUM  
RHOTHIIUM,  
Te M. CAROLUM GOTHOFREDUM  
ITTIGIUM,  
LIPSIENSES,

Vos, inquam, Duum-Viros, singulos Supremo Titulo & Gradu  
Jurisprudentiæ orno & Utriusque Juris, tam Canonici quàm  
Civilis, Doctores creo, legitimeque creatos, in solenni hac Pa-  
negyri, renuncio, tribuens Vobis omnibus ac singulis quævis  
Jura, immunitates & Privilegia Doctoralia, quæ Canonum  
Legumque sancita, aut consuetudines, huic Ordini indulse-  
runt, idque facio in Nominè individuae Trinitatis, DEI Patris,  
Filii & Spiritus S. sanctissimam Majestatem divinam implo-  
rans, ut novi honores isti, de quibus enixè gratulor, animos  
Vestros incitent, quò studia omnesque actiones vestras ad  
promovendam Numinis Gloriam publicamque salutem con-  
vertatis, rectè memores judicari, DE O auctore omniumque  
intentionum Vestrarum justissimo Judice. Proinde ita fun-  
gamini Justitiæ officii, ut, optima aliquando animi fiducia,  
consiliorum, curarum judicatorumque rationes DEO omni-  
potenti intrepide queatis reddere. Atque huic, omnis  
Justitiæ Originæ ac Directori, sit laus, honor &  
virtus in infinita Secula.

D I X I.



Kc 3022




Sb.


V077  
ME











JUSTISSIMUM.  
AMORIS. MONUMENTUM.  
QVOD.  
COMMENDANDO.  
EXCOLENDÆ. RATIONIS.  
C U R A M.  
PRÆCIPUE. IN. JURISPRUDENTIA.  
ET.  
RENOVANDO.  
JCTORUM. LIPSIENSIVM.  
MEMORIAM.  
OCCASIONE. JUBILÆI. III.  
IN. ACADEMIA. PHILYREA.  
D U P L I C I.  
P R O G R A M M A T E.  
E T.  
O R A T I O N E.  
CONSTITUERE. VOLUIT. DEBUIQTVE.  
LÜDERUS. MENCKE. JCTUS.  
CONSILIAR. REG. ET. ELECTOR. DECRETAL.  
PROF. PUBL. ET. FACULTAT. JURID. LIPS.  
ORDINARIUS.

---

L I P S I Æ.  
APUD. PHIL. WILHELM. STOCK.